

« in morem fluctuum diversorumque ventorum huc
« illicque trahitur. Quem nunc quasi Prophetam
« venerantur et colunt, postea contra eum clamant:
« *Crucifige, crucifige;* » id quod eadem septimana
« accidit et tamen uti Albertus Magnus observat: « Haec
« turbae erant, quae cum cum victricibus laudibus
« et signis receperunt. »

4. — At vero Lucas Bruggensis ait: « Turba me-
« lius de Jesu sentit, quam magnates, quamquam
« debuerat amplius profecisse; » neque enim in
« hac aestimatione, veneratione et defensione Christi,
« persecutionibus infestati, persistentiam aut perse-
« verantiam exhibuit, dum se a sacerdotibus et Prin-
« cipibus adeo facilliter seduci permisit.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM LUCE, CAP. XI, VERS. 14

14. Erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum; et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii tentantes, signum de caelo quærebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et Satanus in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

20. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum est autem, cum hæc diceret: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

VERSUS 14.

Erat ejiciens dæmonium et illud erat mutum; et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.

Erat ejiciens dæmonium.

1. — Observat Toletus, in *Luc.*, Phariseos eo præcipue tempore suas adversus Salvatorem evomisse calumnias, quo obsessum illum liberabat: « Modus hic lectionis per verbum imperfectum, nempe: *Erat ejiciens*, notat, Phariseos protulisse verba sequentia contra Christum tunc, « quando dæmonium hoc ejecit. »

2. — Valde considerabile est verbum illud, *Erat*, quod tempus imperfectum et dilationem denotat, non quod aliquam Christi in pellendo dæmone impotentiam arguat, sed resistantiam Christo a dæmone factam indicat; utpote qui in homine illo velut in suo centro demorabatur; dolebat proinde prædam hanc, quam sibi compararat, in manu Salvatoris inimici sui venturam esse. Porro dæmon, id est, peccatum facilliter in animam hominis ingreditur, siquidem ad dandum illi consensum nostrum non solum faciles, sed et solliciti sumus; at vero quam difficile est et arduum, animum e dæmonis potestate eripere et liberare? quanta cum repugnantia offensam Deo factam detestamur? adeo

nimirum idipsum difficile et arduum opus est, ut certo quodam modo dicere possimus, Deum ipsum in depellendo ab anima dæmone defatigari; sic quando se ad Samaritanam convertendam acciuit: *Fugitatus ex itinere sedebat*. In resuscitatione Lazari quatridentarii mortui, qui peccatoris typos erat, *infremuit spiritu et turbavit semetipsum*.

3. — Nonnulli interpretes dicunt, hanc particulam: *Erat ejiciens*, quandam innuere ambiguitatem, sive animi suspensionem et irresolutionem; hujusque ambiguitatis causam in eo consistere, quia quando de usu congruo linguæ, mutus huic restituendo agebatur, deliberatione opus esse videri poterat, quando lingua ut plurimum tot tantorumque malorum causa existit. Unde quando Salvator noster in discipulorum Joannis Baptistæ præsentia, plurima erat patrans miracula, nullum tamen quoad mutos patrare voluit prodigium, expeditum illis linguæ usum restituendo, *Math.*, xi, 5: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*; et ideo verisimile est, quod priusquam Salvator huic mutus promptum loquendi usum restituit, eidem mutus ab æterno Patre suo gratiam, linguam bene gubernandi impetraverit; verissimum namque est quod postquam linguæ usus ei restitutus fuit, is lingua sua tam sancto deinceps usus fuerit, ut ex suo loquendi modo omnes vehementer edificaret: *Locutus est mutus et admiratae sunt turbae*.

4. — Ingeniose Didacus Stella observat, quod S. Lucas dicat: « *Erat ejiciens*, nam quamvis virtus divina in instanti operetur, voluit tamen paulatim ejicere, ut ostendat, vitia, qui mali mores sunt, paulatim esse expellenda, non autem omnia simul. »

Dæmonium.

5. — Hugo Cardinalis ait: « Dæmonium est peccatum, primo a dæmone inventum. » Primus etenim, qui peccatum in caelo advenit, Lucifer fuit; primus quoque, qui illud in terram detulit, idem fuit, astuti cujusdam serpentis similitudine obiectus. Doceatur in hoc facto, inquit Salmeron, Prælati Ecclesiastici, ut ad Christi imitationem a dæmone obsessos liberare satagent; quinam vero hi obsessi sint, idem Doctor his verbis declarat: « Qui peccato aliquo ab illo possidentur; quod opus multo majus est et facilius, quam pellere dæmones de corporibus. »

Et illud erat mutum.

6. — « Id est, » inquit Glossa Interlinearis, « mutos faciens, » Lyranus autem id in sensu spirituali tunc accidere dicit, « quando gratiam habens, prædicandi, vel Ecclesiam officandi, cessat ab istis instigante diabolo. »

7. — Theophylactus mutum huic humane naturæ figuram fuisse scribit: « Que a dæmonibus detenta, audire non potest sermonem Dei, mul- toque minus eloqui valet. »

8. — S. Thomas per hunc mutum, gentilissimum vel peccatorem intelligit, dum ait: « Qui dæmonium habet, in quantum servus, quia qui facit peccatum, servus est peccati mutus a confessione fidei. » *Psal.* xxxiii, 3: *Obmutui et siti a bonis*. Hugo Cardinalis similiter per dæmonem peccatum intelligens ait: Dæmon mutus est, « id est, « faciens mutum a confessione fidei et peccati; hoc dæmonium ejicit Jesus, gratiam infundendo, quæ illuminat, et ora tacentia ad confessionem relaxat » et sic dæmonem effugat. »

9. — Porro Salvator noster Judam diabolum appellavit; dicens: *Unus ex vobis diabolus est*, quia anima in statu peccati mortalis constituta, dæmonis est mancipium; ac proinde dæmon in tali anima, quod fieri potest, hoc satagit efflicere, ut illum mutam efficiat, id est, ut peccata sua confiteri absolute renuat, ne ab hæc ejus tyrannide libera evadat. Unde Didacus Stella ait: « Efficit mutum hominem dæmon, ut nequeat Sacerdoti confiteri sua peccata. *Adhærere*, inquit, apud Ezechielem, in, 26, *faciam linguam tuam palato tuo et eris mutus*; in palato residet gustus, linguam adhærere palato, est voluptatem capere et in peccatis gaudere. » Spiritus Sanctus diabolum nobis sub specie lupi in Scriptura sacra ob oculos ponit: *Lupus rapit et dispergit oves*. S. Augustinus autem inter alias lupi proprietates, hæc quoque specialiter tangit, præsentis proposito nostro valde opportunam, dum *tr. xlvii in Joan.*, ait: « Ecce lupus guttur ovis apprehendit; diabolus fidei adulterium persuasit. » S. Ambrosius pariter dicit: « Lupi ovium guttur invadunt, ut cito strangulent; dæmon quoque quia novit quod peccator faucibus, lingua et voce mediantibus sese ab ejus servitute eximere, æternamque salutem sibi comparare possit, fauces illius constringit, quia *Confessio fit ad salutem*. Salmeron adductam a S. Augustino lupi similitudinem, nimirum quod ovium guttur constringit, ne vociferari aut belare valeant, adducens, ita scribit: « Ne clamet et clamore suo canes excitet; ita dæmon hoc molitur et in hoc insidias struit, ut peccator nec per orationem ad Deum fasam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilii, criminum sua ad salutem consequendam declaret. »

10. — S. Bonaventura in vita S. Francisci religiosum quendam fuisse refert, qui apud vulgus non minus quam inter fratres suos in opinione sanctitatis, magnaque in veneratione habebatur, ejus famam Seraphicus Pater inaudiens, ad monasterium, in quo morabatur, accessit; cumque omnes religiosos virtutibus et perfectioni viri illius

applaudens compertisset, cumque in tanta perpetui silentii observantia se semper continere intellexisset, ut etiam ipsammet sacramentalem confessionem non nisi per nutus et signa perfereret, ad illa verba suspensus stetit; ea autem revera ita se habere intelligens, dixit: « In veritate sciatis, quia « diabolica tentatio est et deceptio fraudulenta; » quod verissimum fuisse tandem luce meridiana clarior evasit; siquidem idem ille religiosus, qui sanctus a quolibet estimabatur, paulo post in turpissimam fuit apostasiam prolapsus. *Psal. xxxi, 3: Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Enimvero miserabilis homo ille, cuius Matthæi, xxii, 42, fit mentio, qui in tenebris exteriores præceptus actus fuit, non præcise ideo atrocem sibi penam illum promeruit, quod nuptiali se veste exornare neglexerit, sed quod ad errorem suum ingenue confitendum, os suum non aperuerit; id quod Galfridus vocem *Tunc*, considerans, ex eo vel maxime arguit, quia interrogatus, quamobrem convivium illud cum decenti vestitus genere accedere neglexisset, aut contempsisset, instanterque, si quam haberet temeritatis huius commissæ excusationem, illam ediceret monitus, omnino obtinuit, imo ut Scriptura dicit: « *Obmutuit*; tunc igitur in tenebras exterioriores protrahari iussus est, non quia sine veste nuptiali introivit; sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit et noluit confiteri. »

11. — Porro sciendum est, quod S. Mattheus, qui hanc eandem historiam describit, xii, 22, dicit: « *Oblatus est ei demonium habens, cæcus et mutus*; Albertus Magnus autem ait: « Cæcitas est « oblenbratio luminis veritatis, quamvis sinistro « oculo colorem mundi videatur, vanitatis et « cupiditatis. *I Reg., xi, 2: In hoc feriam vobiscum « fœdus; ut erum omnium vestrum oculos dextros;* » adductique textum illum Isaia, vi, 10, ubi de interiori surditate, quæ verbum et vocem Dei respicit, nec non de cæcitate spirituali agitur: *Eecæ cor populi huius et aures eius aggravata, ne forte, etc.* Item de mutitate, quæ est taciturnitas a laude « Dei. » *Psal. xxxvii, 14: Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.* Demum vero miserabilis hominis istius damna, a dæmone eidem illata, his verbis ponderat: « In « ratione illum læsit, ne veritatem perciperet, ne « lumen claritatis Dei in miraculis videret; in au- « ditu, ne ex auditu verbi ad fidem veniret; in « loquela, ne de salute ab aliquo inquirere posset. »

12. — Beda, in *Matth.*, per demonium hunc mutum et cæcum, gentilem populum intelligit: « Quia oblati per prædicatores ad fidem Christi; « cæcus, quia viam veritatis ignorabat; mutus, quia « os ad laudem conditoris non aperuit; dæmoniacus fuit, quia per idololatram dæmonibus servabat. »

13. — S. Bonaventura, in *Luc.*, in sensu morali

effectus aliquos, quos peccatum in nobis operatur, adducit, dum ait: « Demonium est peccatum, quod « facit surdum ad veritatem audiendam et mutum « ad confitentiam. »

Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.

14. — Toletus Evangelistam, quod mutus locutus fuerit, minime expressisse, observat; dicit tamen: « Probabile est, fuisse verba laudis, et enim « comium illius, qui eum a tanto malo libera- « verat. »

15. — Valde igitur nobis incumbit, ut erga Deum benefactorem nostrum gratos nos exhibeamus, cui tamen nulla alia moneta retribuere possumus, quam laudes ei debitas persolvendo et enunciendo. Et ideo sancta Mater Ecclesia sanctam hanc consuetudinem introduxit, ut pro huius debiti satisfactione, septem hora Canonice decantentur, in quarum principio ad Matutinum dicimus: *Domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam.*

16. — Jansenius hominem hunc non a natiuitate cæcum et mutum, sed talem dæmonis opera effectum fuisse notat. Unde deducitur, quod eo abacto, id est, peccato, confessione sacramentali mediante, e medio sublato, nec non submota proxima illius occasione, anima lumen Dei reacquirat, linguamque ad ejus laudes promendas relaxet; unde Beda, in *Luc.*, ait: « Cæcus vidit, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur, quod « et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie completur in conversione credentium, ut « expulso primo dæmone, fidei lumen aspiciant, » deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. »

Et admiratæ sunt turba.

17. — « Id est, » ut Hugo Cardinalis ait: « Pro- « miscuum vulgus, » sive homines plebei et populares, siquidem cæteri primates, sacerdotes nimirum, principes synagogæ et seniores, eum potius conviciabantur et blasphemabant, unde et simplicissima quedam muliercula, ut in fine Evangelii huius dicitur, e circumstante densissima turba eidem acclamavit: *Beatus venter qui te portavit*; etenim pauperes præcipue sunt, qui ad devotionem, cultum et obsequium Christi vel maxime inclinantur.

Additiones.

a. — Erat Jesus eiciens dæmonium et illud erat mutum. Salvator noster ideo in mundum venit, ut dæmonem subjigaret, qui hæcenus mundum subjugaverat; ideoque in nostro conspectu fortiter se illi opposuit, eum e corpore humano eiciens, ut sic illum modo catenæ quasi innoxum, crederemus et minime timeremus. S. Joannes, visionem quam habuit his verbis, *Apoc., xi, 4*, recenset: *Et vidi Angelum descendentem de celo, habentem clavem*

abyssi et catenam magnam in manu sua. Quidnam vero hunc Angelum cum hac catena voluisse facere existimatis? *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, et Satanas, et ligavit eum.* Utiq; si canem molossum rabidum libere circumcursantem videris, magnopere, ne te forsitan venenoso dente suo morderet, formidares; quem tamen forti catena alligatum sine ullo prorsus metu aspiceres et de hoc solum sollicitè caveres ne sponte propria nimis approximates; ac proinde cum S. Augustinus de Cerbero infernali dicit: « Alligatus est tanquam innoxus canis catenis, et « non enim potest mordere nisi eum qui se illi « mortifera securitate conjunxerit, » non est quod ob ejus latratus terreamur. « Demon quidem, » ut ait idem sanctus Doctor, « latrare potest, sollicitare « potest, mordere omnino non potest, nisi volens. » tem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, « nec extorquet a nobis consensum, sed petit. » Quam propositionem D. Chrysostomus confirmat dum ait: « Hoc omnium maxime vos certum esse « scire volo, quod fidelem et christianum in anima « potest ledere nemo, nec ipse diabolus. » Cassianus in collatione quadam, sanctos Patres Eremitas post varia de dæmonis potestate, hinc inde habita colloquia, tandem conclusisse scribit: « Non habere « eos potestatem quemquam hominum ledendi, « exemplum B. Job manifesta ratione demonstrat. » In cujus confirmationem illam ex *Matth.*, vii, allegatam ponderantur historiam, maxime verba illa: *Si eiecit nos hinc, mitte in gregem porcorum*; unde inferebant: « Qui multo magis credendi sunt in « nullum hominum qui ad imaginem Dei creati « sunt, introire pro arbitrio suo posse, cum in animalia immunda ac muta ingrediendi absque Dei « permisso non habuerint potestatem. » S. Augustinus quoque dicit: « Cum nec filios, nec pueros, « nec camelos, nec asinos B. Job, antequam Dominus permitteret, diabolus ledere potuisset, quare « credimus quod Christianis amplius faciet, quam « quod dælico ac secreto iudicio suo, divina potentia permisit? »

b. — Ejicit Jesus dæmonium ad hoc ut id, quod maxime anime infert dampnum, dæmonem esse ostenderet, qui quando in anima dominatur, peccatum causat; tota enim diaboli potentia in solo peccato consistit. Tametsi Satanas universi mundi et totius generis humani sibi usurpet dominium, attamen Salvator noster illum in se nequequam prevalere unquam potuisse protestatur, dicens: *In me non habet quisquam*; idque ex eo capite quia omnis erat expertus peccati: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Unde S. Bernardus, *Serm. x in cæna Dom.*, ait: « Venit diabolus, non princeps creaturarum, sed peccatorum, non lucis sed tenebrarum, et in me non habet quisquam, id est, nihil in « me est quod ad eum pertineat. » Demon enim,

cum tota sua potestate tartarea, adversus animam quamcumque nihil facere prevaleat, nisi in ipsam ratione peccati dominium aliquod obtineat. Unde commentator Nazianzeni de rebellibus his spiritibus, ita scribit: « Bellum in nos gerunt, non « quod voluntati nostræ saltem post divinum baptismum vim ac tyrannidem inferre possint; absit, « hoc enim magnus quoque Apostolus his verbis « declaravit: *Lex spiritus vitæ liberavit me a lege « peccati et mortis*, sed quod divinatorum mandatorum curam abjiciamus, atque animi inductione « voluptatibus nos ipsos addicamus. » Et ideo D. Chrysostomus unicum, infallibile et omnipotens contra universum infernum remedium suggerit, dum ait: « Unum solum custodi, ne occurrat tibi « peccatum, hoc enim est quod supplantat; præter « hoc vero nec ipse diabolus nos quippiam ledere « poterit. »

c. — Erat quidem hic mutus corporaliter possessus; sed plures habet possessos in anima, quos quidem excruciat, et etiam in maxima luce minus vident; tam surdos reddit ut corde non percipiunt verbum Dei; mutos non reddit, sed maxime loquaces, ut etiam maximis preceptis beneficiis, horrendas evomant blasphemias, in Christum Dominum; ideoque blasphemias maxime minatur dicens, quod non invenient misericordiam Dei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia Deus blasphemis se implacabilem reddit, nullus pro illis mediator, aut intercessor existit; et ideo ut plurimum impenitentes moriuntur, suæque reprobationis signum in seipsis manifestum deferunt. S. Joannes in Apocalypsi, xvii, 1, se ab Angelo quodam his verbis invitatum esse scribit: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; moxque se in spiritu in desertum quoddam fuisse ductum, in quo sequens hoc festum spectaculum ei exhibitum fuit: *Vidi mulierem sedentem super coccineam, plenam nominibus blasphemiarum, habentem capita septem et cornua decem.* Circa quæ verba Bernardus ait: « Qui ex consuetudine mala et habitu impietatis blasphemat, « blasphematoris sortitur nomen; qui merito desinat per coccineam bestiam de qua *Apoc.*, « xvi, 3, scriptum est: *Vidi mulierem sedentem, etc.* » In qua sententia specialiter notanda sunt verba illa: « Qui ex consuetudine mala; » his enim innuitur, non esse adeo culpabilem illum qui ex inadvertentia, inconsiderate et præter expressam voluntatem, ac raro in hoc peccatum prorumpit.

d. — Dæmon non operatur in omnibus eundem effectum, sed contrarios, aliquos incilians ad læta, aliquos ad tristia; serpens enim astutus per insidias nos aggreditur, nobisque passim et in omnibus rebus innumeros tendit affectus, nostrum quoque explorat genium et laqueos discutit, et secundum hoc nos tentat, et in peccatum propellit. Qui artis venandi periti sunt, juxta ferarum, quas capere

nituntur conditionem et qualitatem, ubi et quomodo tendendi sunt laquei et retia, optime norunt. Unde Theodoretus super illa Psalmistae verba: *In via hae qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi*, ita scribit: « Et venantios serarum vas investigant, et illis retia parant. Hos imitatus Saul, et ea quae Davidi obfutura erant instruebat, et ubi ipsum degere intelligebat, ibi insidias parabat; hoc etiam diabolus facit et incendiis temperantiae via, luxuriae laqueum parat; ei vero qui elemosinis gaudet, inanis gloriae rete ponit; ei autem qui opes pro nihilo ducit, avaritiae occasionem offert, et virginitatis superbiam et, ut uno verbo dicam, cullibet vivendi modo laqueum venationis accommodatum necit. » Tria admodum sunt illa S. Augustini, *tr. viii in Joann., c. vi*, verba: « Ramum viridem ostendis ovi et trahis illum; nubes puero demonstrantur et trahitur, amando trahitur. » Quem eundem modum insidiosus serpens observat, siquidem genium, inclinationes et affectus nostros explorat, porrigitque unicuique id quod desiderat, ut illum in retia sua pelliceat et trahat. Celebris est illa S. Macarii visio, qui cum demonem multis vasis vitreis onustum, ante cellam suam obvium, quidam cum illa vasorum multitudine facturus esset, interrogaret, is in prociectu se esse respondit, ut vasa illa monachorum suorum congregationi afferret, et ut pro cuiusque gustu singulis offerret singulas peccati illecebras. » S. Leo, *Serm. vi de Nativitate*, ita loquitur: « Novit hic hostis antiquus, ab initio humani generis inimicus, cui illecebras gulae ingerat, cui virus invidiae infundat, cui blandimenta luxuriae obijciat, cui vanae superbiae incitamenta promittat; novit quem metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione seducat. Habet etiam aliquos sibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingenius nititur et linguis. »

e. — Crudelissime demon hunc hominem torquebat; sed maxime diaboli crudelitas in hoc apparere, quod linguam hominis impediverit, ne sua diceret ac confiteretur peccata. Molitur enim diabolus quantum potest, ut nos mutos efficiat et a confessione abstrahat; idque vel maxime hanc ob causam facit demonem, quia ex hac confessione tota animae pulchritudo dimanat. S. Antonius de Padua in Evangelio praesenti, de mutis obsessis, notat eundem, juxta S. Marci relationem, etiam caecum fuisse; imo et surdum, juxta S. Chrysostomi opinionem; unde hanc inferi consequentiam: « Hae igitur sunt incommoda, quae facit demon in anima nostra; et si quaeras cur Evangelista non nominavit nisi unum incommodum, scilicet mutitatem? Respondeo quod solum ad principale incommodum se transtulit; unde advertendum, quod multis cameris demon habet ingressum, et vel habere potest, ad domum conscientiae nostrae,

scilicet animae; sed tamen nunquam, nisi per unum ostium potest ejici et expelli, scilicet oris, seu confessionis. » Fortissima quam inimicus infernalis ad innumeras ab hac confessione avellendas animas adhibet, machina est confusio et verecundia, cordibus fortiter impressa ne poblentur delicta. Teste S. Bernardino, *Serm. de Confessione*, qui a quodam Dei servo diabolus in Ecclesia visum fuisse audivit, industrie circumgyrantem; qui interrogatus, quid sollicitie admodum operaretur, respondit: « Reddo quod abstuli. Cui Dei servus: Quid est, quod reddis? Inquit, verecundiam. At ille: Cui? Ait: Confitentibus; nam verecundiam quam eis abstuli dum pecebant, ut multiplicius in peccatis volerentur, nunc satisfacio ablatam, ne unquam propter verecundiam a suis sceleribus exterreantur. » Qua narratione completa, subdit Sanctus illum Lucae textum: *erat Jesus eiciens demonium et illud erat mutum*, hoc modo intelligendum esse: « Tria ab effectu, quia peccatorem propter verecundiam mutum facit. »

f. — Miserrimum illum hominem diu demon pertinaciter obsederat et inde diuturnum fixerat domicilium; difficillime se abigi sinit, sed totis tartarorum viribus divinae omnipotentiae obluclari praesumit. Quam arduam demonis expellendi difficultatem et reluctantem demonis excantandi obstinationem denotare et insinuare, verbum erat, interpretes observant. Nil Christo Deo difficile erat, qui toto cognatae omnipotentiae aditus miracula patrabat; sed difficultatem humanitatis representat, ut ostendat quam sit de se arduum quod assidue assuevit, habitatum peccatorem, qui per hunc demoniacum notatur, in statum salutis reducere.

g. — Sane admiratione dignum est, quod demon, juratus hominis hostis, hominis linguam impedimento ligavit. Si enim astutus demon per linguam usum intravit, cur aditum claudit, ne alia etiam vitia per linguam valeant in hominem intrare? O insolenter plium demonem, aut humanae malitiae avarum, qui uno vitio, per quod intravit contentus ceteris apertas fores benigne claudit! Gratulor jam hominibus, dum minus saevum, quin et benignum magis, infernalem hostem habent, qui uno linguae vitio contentus, ceteris aditum precludit. Scilicet non est demonis benignitas, oppilare plurimum vitiorum ingressum, sed nequior severitas est; agrat enim altas radices unum vitium, etsi aliis simul oppilaret ingressus, unum illud medullis incorporatum perniciosius est; de inobita consuetudine qua a primis annis cepta, promptis ad peccata multiplicanda efficit, quorum malus usus tandem in naturam et necessitatem degenerat, eorumque difficile est remedium. Peccata fragilitatis, malitiae et quae sunt hujusmodi, facile sperare possunt remedium; at vero, his qui in inveterata habitati sunt consuetudine, necessaria est manus Dei, illius,

inquam, medici, qui de seipso ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* « Peccatum est sicut vulnus in corpore humano, » inquit S. Bonaventura, « nam recenter vulneratus, permittit se tangi, et vulnus premi, et investigari; sed post tertium diem, non sine magno dolore tangitur in vulnere. Sic peccatum in sua recentia cito curatur, sed post tertium diem, gravissimus dolor vulnerrum. Tres dies isti sunt: peccati perpetratio, peccati consuetudo et peccati obstinatio. »

h. — Cum mutus est ille homo, surdus inde probatur. Addit etiam S. Mattheus, *xii*, caecum fuisse. Vide ergo diabolorum tyrannidem, et pietatem Salvatoris adora. Opportune hunc locum Theophylactus elucidat: « Qui ad Dominum adductus est, et lingua, et auribus, impeditus erat. Figura autem hic est humane naturae, quae a demonibus delenta, non potest audire sermonem Dei, multoque minus loqui valet. At Dominus postquam venerit, demonesque effugaverit, demoniacas affectiones et opera nequam fecit nos audire, et loqui veritatem. » Alte appellat demoniacas affectiones, quia atrociora demonum officia in hominibus obeunt. Peccatum enim quasi quidam demon est per quod et peccatorem demon suum efficit. Qui enim passionibus agitur demoniacus est et quasi demonis filius. O quis hos intestinos demones excantet? An demoniacae affectiones nominantur, quia sunt demonum arma, voluptatum vigor et tentationum energia? O quam foret imbecillus et inermis tota diabolorum vis, nisi prave humane affectiones eam obarnarent. Inde enim demonis filius et demoniacae passionis vocatur, quibus obarmatus, crudeli tyrannide in homines agit, et eorum perditionem machinatur.

i. — Dire et impie hunc hominem demon vexabat, quem caecum, surdum et mutum effecit, et ut Albertus Magnus advertit, etiam intellectus usum obstruxit. « Mutum fecit, » ait, « hoc est, malitia demonis interius impediens usum veritatis rationis. » O crudelissimus hostis, qui non solum hominem expoliavit a sensuum facultatibus, sed etiam usum rationis impedivit, ne homo videret, intelligeret, ac discursu apprehenderet Deum, quem graviter offendit, summe miserrimum statum, infamamque conditionem, in quam per peccatum dejecit! Hoc enim unicum demonis erga peccatorem studium est, ut hoc modo obcecet. Ideo peccatum merito tenebrae et caecitatis vocatur.

j. — Hec, quot muta demonia observantur nobiscum? Coelestium rerum oblitus, totus qui terrenis acquirendis incumbit, is sane demonio agitur mutus. Hunc miserabili prosequitur lamentatione Jeremias, *Thren., ii*, inquit: « Sederant in terra; continebantur senes. Ecce qui continebantur, qui obfirmato obtinuit ore, qui veteris hominis sectator lucra, qui totus terrenis insidet bonis. Hae via,

haec caeciva bona vocalissimo hominum generi spiritum mutum infundunt. Siquidem ab omni lumine et cognitione Dei est alienus qui per affectum suum mundo inimicum est immersus. Postquam S. Petrus omnium aliorum Apostolorum nomine protestatus fuisse dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia*, ingens sibi omnes ad cognoscendum Christum et bona coelestia lumen accepit. Unde S. Basilius Magnus ita scribit: « Dominus discipulis suis, ubi sinceram illam et ab omni distractione nis intemperie expurgatam affectionem fuerant adepti, asseverans dicebat: *Vos de hoc mundo non estis.* Idemque e contrario, etiam iisdem asseveranter testificabatur, dicens: *Fieri non posse, ut Dei cognitionem mundus perciperet, aut Spiritum Sanctum acciperet.* Pater enim, inquit, *juste*, et *mundus te non cognovit et Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Animadvertendum itaque quae necesse est, ut qui modo vere Deum sit secutus, is a vinculis affectionum vite hujus solutus sit. » S. Thomas, in *Joan., i*, ita disserit: « Amor mundi, ut dicit S. Augustinus, maxime trahit a Dei cognitione, quia amor mundi inimicus Dei constituit. *Jacob., iv*: *Qui autem non diligit Deum, non potest eum cognoscere.* *I Cor., ii*: *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.* « Notandum autem quod ex hoc solvitur questio gentium, qui vane quaerunt. »

k. — *Et cum eiecisset demonium, locutus est mutus.* Ejecto per Deum diabolo, locutus est mutus: inhabitatis enim Dei gratia, non potuit non in lingua publicari. Nulla res tam divinum prodit accessum, quam lingua; divina in corde tuo salus latitans, mirum erit, si a lingua statim non prodatur; lingua enim interiora hominis manifestat. Ubicumque autem ingreditur Dei virtus, statim lingua proditur, adeo ut Graecus auctor, Nicolaus Cabasilus, *lib. vi, de vita in Christo*, hinc pungat eos qui ad Eucharistiam accedunt, nec a malis verbis desistant, quod putet Domini laetum necessario exprimi debere in lingua. Ait enim: « Os ad sermones cum scelere conjunctos non aperimus, si mense recordabimur et qualis sanguis linguam hanc purpuraverit. » Valde autem indecens est, quod cum Deus linguam nobis dederit ad eum glorificandum, eam profanemus maxime cum toties accipiamus sacrosancta corporis et sanguinis Christi mysteria.

l. — Ablato demone qui obstaculum ac impedimentum opponebat, loquitur homo. Et quamvis homini visus et auditus sint restituti, tamen optime Lucas de locutione tantum facit mentionem, tantum quid valde rarum, quod linguam Dominus homini concesserit; ipsa enim est multorum malorum radix et aliorum vitiorum adiutrix, ut patet in vitio invidiae, cui detractio multum patrocinatur. Et quidem notandum est quod eodem tempore quo

mutus linguam suam laxavit ad reddendas benefactorum laudes, lividi et maligni Pharisei, os suum ad Deum pro viribus diffamandum, eique detrahendum aperuerunt : « Facientes Jesum non solum virum malum sed pessimum magum, » ut inquit Cajetanus, divinae opera fingunt diabolica.

m. — Duo sunt animarum genera quae inhabitari dici possunt. In uno habitat et regnat Deus et hi letitia bonae conscientiae frui dicuntur. In altero habitat et regnat daemon et hi, maxime vero damnati, per vermem male conscientiae suae perpetuum sentiunt tormentum. Advertendum porro est, Christum de peccatorum inferni acerbitate disserere volentem, non sine mysterio ignem simul cum verme conjunxisse; siquidem non tantum semel, sed frimies in solo capite noce Marci, haec verba reputantur : *In ignem inextinguibilem, ubi vernis eorum non moritur.* Et ideo S. Augustinus quaerit : « Seipsum quo fugiturus est homo? Quocumque fugerit, se talem trahit post se et quocumque talem trahit post se, cruciat se. In se est poena sua, quem torquet conscientia sua. »

n. — Cardinal Toletus existimat probabile esse hunc hominem locutum fuisse verba quaedam laudis et encomia illius qui eum a tanto malo liberavit. Cur ergo Christi encomia ab hoc homine publicata, ab Evangelista non scribantur, praecipue cum ipsemet maxime nobis narret Christi laudes a muliere in hoc eventu publicatas? Respondetur non scribi praecordia ab hoc homine in Christi gloriam celebrata, quia hic homo relapsus est iterum in graviora peccata : *Fuit novissima hominis illius peccata prioribus.* Et verba, ac encomia ex ore, factis et operibus statim contradicentibus prolata, parvi sunt aestimanda, imo abominabilia censentur. Sic quoque abominabiles sunt ii Christiani qui fidem quidem profiterentur extrinsecus, cum tamen eandem per vitia et peccata negent.

VERSUS 15.

Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub principe demoniorum eiecit daemonia.

1. — S. Matthaeus quinam hi fuerint, magis specificè declarat, dum illos Phariseos fuisse asserit : « Quos periculosum possidebat daemon in anima, quam mutum in corpore, » ut Salmeron inquit, « qui et peiores ipso demonio erant, siquidem demon subito ab hoc mutuo se recipiens, ne verbo quidem Christo contradicere presumpsit; » at vero Pharisei : « Intercidendi agitabant consilia et catumniabantur miraculum. » Porro motivum, quod Phariseos ad hanc blasphemiam evocandum permovet, ab eodem Evangelista Matthaeo sufficienter innuitur, ut Toletus optime advertit; dicit enim hic Evangelista : *Pharisei autem audientes hoc, dixerunt : Hic non eiecit daemonia, nisi in Beelzebub, id*

est, ut Toletus explicat : « Cum audissent turbas dicentes : *Nunquid hic est filius David?* tunc dixerunt, etc., » ut igitur turbas, ne Christum talem esse crederent, coherent, illum calumniari, tantaque injuria afficere operae profuturum esse dixerunt : « Scelus profecto et peccatum gravissimum » hoc est, qui enim deberent turbas docere et ad agnitionem Christi eas adducere, non tantum hoc non praestant; sed a recta via avertunt et lumen accensum in eis extinguere conantur. » Unde verissimum esse deducitur ipsam, quod cap. xxiii, 13, iisdem impropere, dicens : *Clauditis regnum caelorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntem sinitis intrare.*

2. — Perspicue ea in occasione verissimum esse cognosci poterat, quod in hujus progressu Evangelii dicitur, nimirum : *Cum exierit ab homine, quaerens requiem non invenit. Circuit quaerens, quem devoret;* daemon etenim, postquam ab homine pulsus est, quiescere nequit, imo adversum nos magis magisque exacerbatur; unde postquam ab hoc mutuo eiectus fuit, ad ingrediendum in Phariseos aditum sibi fecit, qui a demone agitati illum fuere calumniati, eumque enormiter adeo blasphemarunt et ideo ab uno homine fugatus, ut se vindicaret, in multos ingressus fuit, per quorum Pharisaeam malignitatem, non humana, sed diabolica lingua, horribile nimis blasphemiam adversus Christum evomit : « Faciunt Jesum, » inquit Cajetanus, « non solum virum malum, sed pessimum magum, » divinae opera fingunt diabolica. » S. Bonaventura quoque blasphemie hujus atrocitatem hisce verbis exaggerat : *Quod fcebat a Spiritu Sancto, attribuebant spiritui maligno.* Unde Matthaeus, xii, 31, statim post hoc dicit : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur.*

3. — S. Thomas hunc Beelzebub, in cuius virtute Christum demonem ejicere assererent, Deum fuisse Accaronitarum affirmat : « Qui dicitur Deus muscarum, propter turpissimum ritum sanguinis, » ratione ejus multae muscae congregabantur, ideo « credebant illum demonem, principem demoniorum, » unde credebant in potestate illius posse ejici « demonia. »

4. — Didacus Stella proinde optime nullam adeo heroicam et insignem sanctitatem et virtutem dari posse considerat, quae ab impiis non traducatur per calumniam, quaeque impiorum detractioibus non impetatur. Porro magna hos Phariseos inter et obsequiosas devotasque turbas cernitur differentia; siquidem haec *admirate sunt* patra a Christo miracula, quae illi calumniatis, magiae, incantationibusque attribuebant; nimirum ex uno eodemque flore apes mel suavissimum, aranea vero toxicum elicit perniciosissimum, ad eum fere modum, quod virga in manu Moysis posita, imperii sceptrum et

potentium instrumentum erat, coram magis Pharaonis in terram projecta, confestim in serpentem transmutata fuit.

5. — Excecati per invidiam, » Albertus Magnus, in *Luc.*, « haec dixerunt et erraverunt, excecati » enim illorum malitia eorum. » Eidem quoque causae S. Bonaventura blasphemiam istam attribuit, dum ait : « In hanc blasphemiam proruperebant ex invidia; » proinde sanctam Matrem Ecclesiam Evangelium istud in hac Dominica tertia Quadragesimae legi praecipisse existimat, quia in eandem Dominicam quoque sacra Josephi historia incidit, in qua per fratrum suorum invidiam venditus fuisse legitur : « Sicut enim fratres Joseph ex invidia vocaverunt eum inventorem somniorum, sic et isti dicebant Christum invocatorem esse demonum. »

6. — Didacus Stella Pharisaeorum considerat ingratitude, eamque Salvatoris beneficentiae diametro oppositam comparans, dicit : « Non solum eorum malitia perpenditur ex eo, quod Christi miracula peiores efficiebantur, sed etiam ex temeritate poris circumstantia; » eodem namque tempore, quo ipsum tanquam verum in lege promissum Messiam agnosceret et tanquam verum et consubstantialium Dei Filium venerari, eique pro miraculis, quae in Hebraismi evidentem utilitatem patrabat, gratis referre debebant, eum contumeliose deriserunt, horrendisque calumniis et blasphemis vel maxime onerantur, *Psal. xxxiv, 12 : Retribuebant mihi mala pro bonis et odium pro dilectione mea;* fuerantque incredulitate sua ipsis Pharaonis Magis longe deteriores; siquidem hi Moysis prodigia conspicientes confessi sunt, dicentes : *Digitus Dei est hic;* hi autem blasphemie dixerunt : *In Beelzebub, etc.,* non obstante, quod eum viva voce audissent, dicentem : *In digito Dei eiecit daemonia.*

7. — Porro mutus hic Evangelicus linguam suam in Christi gloriam et laudes depraedandas laxavit, qui eum a pernicioso hoc demone liberaverat; Pharisei autem lingua sua ad impudenter divinitati ejus detrahendum fuere abusi; unde Pharisaeae hinc perfidiae Christus jure merito dicere poterat : *Os tuum abundavit malitia et lingua tua concinnabat dolos.* Verissima est igitur illa Salviani sententia, dicentis : « Detrahendi libido terminum non habet, nunquam saturatur; » ecce enim in quantam tandem proruperint blasphemiam, ut omnem ei penes populum fidem adimerent.

Additiones.

a. — *Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub, etc.* Vix miraculo, et loquente mutuo, admirantur turbae, Pharisei vero blasphemant. Patet hic magne invidiae malitia, quam in his Pharisaeis describens D. Athanasius, in decretis Nicenae Synodi contra Arianam heresim, sic inquit : « Malebat se potius impios haberi, dum Beelzebub operum

Christi auctorem volunt quam repudiare suam ipsorum malitiam. » Frequens erat opinio, quod Christus esset Propheta magnus ac verus Messias, et tamen adeo maligni erant hi Pharisei, ut potius eligant se blasphemos et impios reputari, dum tantum opus demoni adscribant, quam a sua invidia, qua Christo honorem suum invidiebant discedere. Sic invidus etiam cum dispendio proprio, benefactori suo malum machinari non curat. « Horrenda res est invidia, » inquit D. Chrysostomus, « ac propriam salutem aspernari persuadet. » Saul pravum demonium adversus animam suam accersiverat, eumque accersivisset, medico rursum invidabat. « Vibravit in illum lanceam suam ut ei necem inferret, eligens potius torqueri a diabolo quam ab invidia, quae causa ipsi erat, ut applausus et existimationem aemuli livido semper oculo aspiceret. » Ea enim invidiae natura est : non rat se ab eo servatum, malebatque perire, quam eum a quo salutem accepisset, florentem conspiceret. » S. Ambrosius sanctorum adhuc virtutum, qui suis apud Deum intercessionibus divinae justitiae flagella, a populis avertunt, patrociniis considerans, ait : « Magnus murus patriae vir justus; » illius nos fides servat; justitia ab excidio defendit. » Et tamen S. Stephanus invidis exprobravit Judaeis, inquit, *Act. Apos., vi, 8 : Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Et licet de eodem S. Stephano attestetur S. Lucas, quod *faciebat prodigia et signa magna in populo; viderunt faciem ejus tanquam faciem Angelii; non poterant resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur;* et tamen licet invidi Hebraei S. Stephanum Deo in distribuendis donis gratisque celestibus, adeo liberali manu, acceptissimum esse scirent, per invidiam tamen excecati, *stridebant dentibus* in eum, eumque vivum sub lapidibus sepeliebant.

b. — Videbant Pharisei divinam Christi virtutem, omni virtuti puriorem et omni sanctitati sanctiorem, et tamen petulantur blasphemant, et dicunt : *In Beelzebub eiecit daemonia.* Tanta enim est odii et invidiae vehementia, ut ex quo charitatis officium praestare poterat, hic in infamiam trahere contendant. Invidia enim totaliter charitati opponitur. Infalibile est illud S. Pauli a Spiritu veritatis dictatum oraculum : *Charitas non amulatur;* id est, ut doctor Angelicus exponit, « non invidet, quia scilicet facit cavere invidiam. » Unde et in Psalmo xxxvi dicitur : *Noli amulari in malignantibus.* Idem Angelicus Magister charitatem cum invidia incompatibilem esse his verbis concludit : « Cum per invidiam quis dolet de bonis proximi, « directe contrariatur charitati, ad quam pertinet « quod homo diligat proximum sicut seipsum. » Inimicus infernalis hic omnes suos dirigit conatus ut charitatem de cordibus nostris eripiat. Unde S. Chrysologus ejus nobis discooperiens insidias, in-

quit : « Invidia intestinus hostis non carnis quati-
« muros, non elidit septa membrorum, sed in ip-
« sam cordis arietem. » Invidia est traditor
ille qui intra munissimum optimeque custoditam
cordis arcem latitans, fidemque frangens, animam
in manus consignat inimici, inde ejiendo charita-
tem, quæ regina et domina est omnium virtutum;
imo et ipsunmet Deum profigando.

e. — Simpliciter turbæ Christi virtutem ac poten-
tiam admiratione reverentes colunt; Pharisei vero
impii ac sacrilegi, multas in blasphemias prorumpunt : hoc enim frequenter evenit ut illi qui moribus improbi sunt, invidie vitio contra justos magis exagitantur. Invidia enim propria est hominum vilium et pusillanimum, estque macula ignominiosa hominis. Ideo Job, v, 2, ait : *Parvulos occidit invidia*. Et Guericus Abbas, *Serm. in die Purif.*, ait : « Hæc est illa quæ non magnos sed parvos semper torquet, dicitur S. Job : *Parvulus occidit invidia*. In eo enim quod aliquis alicui invidet, « minorem ostendit ei cui invidet. » S. Gregorius, *lib. I Mor.*, xxi, ita scribit : « Invidere non possimus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est qui livore occidit, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod et minor sit, cujus invidia torquetur. Hinc est quod hostis callidus primo homini invidendo surripuit, « quia amissa beatitudine, minorem se immortalitate agnovit. Hinc est quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto sacrificio, prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam « accept, et quem meliorem se esse exhorruit, et « ne utrumque esset amputavit. »

d. — Ecce nonne clare dicebant convicia? Nonne aiebant : *In principe demoniorum eieci demonia?* Cur ergo dicit : *Ut vidit cogitationes eorum?* Et erant, qui lingua conviciabantur et qui mente solum talia ruminabant. Jesus ergo cogitationes respiciens, convicia præterit, docens Christianos quam salutare erit, si conviciis respondere caveant. Dum alius te aperto ore maledictis ferit, nil perdidisti, dum clausum os tuum contineas. Si vero similiter os tuum aperias et totidem ex adverso maledicta remittas, omnia mentis bona exsufflantur et spiritus extinguitur. In domo in qua duo sunt ostia ex adverso se respicientia, dummodo alterum eorum sit clausum, etiamsi unum sit apertum et tempestas circumcirea furiat et rapidissimi venti inflent, omnia intra domum pacata sunt et secura. At ubi primum ambo ostia fuerint aperta, ecce tibi domus perturbatio, ecce inquietudo, nil sibi securum est, omnia a ventis feruntur, lumina apparent extincta. Hoc pulchro exemplo monebat suos Chrysostomus ne conviciatori responderent, si vellent in se habere spiritum Dei inextinctum : hoc nos exemplo, ita in passione sua communis Christus coram Pilato accusatus et in cruce calumniis impetit.

e. — Pharisei vident divinam virtutem, et tamen impie ac impudenter astruunt quod in Beelzebub eiecit demonia. Iniquorum lingua nulli parcat : *Poeverunt in calum os suum*; in omnes omnique modo sua venenosa verba contorquet. De his juxta S. Hieronymum, S. Chrysostomum et Michaelen de Bononia, ait Regius Vales, *Psal. xiii, 3* : *Venenam aspiciunt sub labiis eorum*. Et tamen de iisdem astruit idem Propheta, *Psal. lvi, 3* : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagitta*. Bernonius, *ibid.*, ait : « Quorum dentes fuerunt arma et sagitta, id est, « consilia pessima et verba voluntaria ad operationem « mortis. » Merito tamen dubitabis, si eorum os venenum nuncupatur, quomodo etiam sagitta dicitur? Nam venenum e proximo ac ex intimo enecat, at sagitta e longinquo ac distanti interficit? Hæc omnia in lingua indomita reperiantur, quæ non aliter quam venenum e propinquo occidit, et sicut sagitta e remoto vulnerat ac mortem ingerit. S. Jacobus Apostolus, malam linguam sub veneni mortiferi analogia describit, ut lethifera et incurabilia insinuet vulnera, quibus semetipsum et alios graviter sauciat. Et quidem Nazianzenus in lingua non unum duntaxat veneni genus, sed multa latere consert, inquit : « In lingua sita sunt « permulta venena. » Alii pariter irreparabilia ab eadem derivantia damna detestans, ita scribit : « Sæpe etiam sexcenta levis maledicta profundit, « quæ veluti spumam projicit ira gravis. At rursum flecto blandissimo pectore fatur, atque aliud « labris, mente aliudque gerit. Blanditibus plena « voces, mendacia, frandes; dicere quis linguæ « cuncta venena queat? » Et quidem cum peccatum sit pestilentielle et lethiferum, quia primam originem culpæ a lingua, quam serpens demoni in generis humani perniciem mutuavit, ut Basilus Seleucus ait, derivari ignorat? Hoc igitur mortiferum toxicum, quod totam Adæ progeniem infecti, ab ipso mundi exordio, e serpentis faucibus prorupit. Dionysius Carthusianus verba S. Jacobi, iii, 9, exponens : *Plena veneno mortifero*, inquit : « Id est, « mortalibus peccatis. Quamvis enim peccatum « mortale in anima sit formaliter, in qua est aver- « sio mentis a Deo, in lingua tamen sunt ista « tanquam in instrumento et causa. »

f. — Veritatis osores Pharisei dum Christi veritatis anciori qui de se ait : *Ego sum veritas, veritas et vita*, maledica lingua detrahunt, id e demonibus nescientes propalant, quod ipse Christus factus ostendebat, scilicet infirmos admodum esse demones. Quomodo enim fortes, quorum princeps adeo debilis, ut musca vocetur? Beelzebub enim interpretatur *musca Deus*. Nam licet iniqui et importuni sint spiritus, ut musca tamen facile abigi possunt, adeo infirmi sunt; præsertim si nostra voluntate non secundantur. Hoc tamen S. Basilus Magnus agitat dubium : « Numquid alicujus sancti

« propositum impedire Satanas possit, quoniam
« scriptum est, *I Thess. ii, 18* : *Quoniam voluimus
« venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel, et iterum;
« sed impedit nos Satanas?* » Sanctus vir solvit et hanc difficultatem, cum distinctione, asserens : « Eorum quæ in Domino sunt recte factorum, « alia sola voluntate ac deliberatione animi efficiuntur; alia ad hoc ut efficiantur, indigent etiam « opera corporis, adhibendis videlicet vel studio, « vel tolerantia. At quæcumque quidem sunt ejus « generis, quæ in sola animi voluntate posita sunt, « hæc nullo modo impedire Satanas potest : quæ vero ejusmodi, ad quæ consequenda necessaria « est etiam opera corporis, in his plerumque etiam « Deus nasci impedimenta permittit, vel protand, « vel delegandi causa illius, qui impediatur, ut vel « si a recto proposito destiterit, convictus qualis sit, « delegatur; ut hi qui supra petram fuerant seminati, qui ad modicum tempus susceperunt quidem « verbum cum gaudio, exorta autem tribulatione « statim recesserunt. Vel si in recto perseveravit, « clarus apparet studium ipsius in recte factis, ut « ipsius Apostoli, qui cum sæpe Romam petere « deerissent et prohibitus esset, ut ipse factus est, « tamen eatenus in ea voluntate permanere non « destitit, quoad etiam effectus, quod statuerat. »

g. — Confert Dominus tuto beneficia, et Pharisei blasphemant; jam enim passionem suam vere inchoat Christus, sicut enim post collata beneficia Judæi Christum crucifixerunt, blasphemantes, sic nec minus ab his Phariseis patitur Christus, cum blasphemare sit idem ac Filium Dei de novo flagellare et crucifigere, estque peccatum longe gravius illo quod commiserunt Judæi. Etenim si tormenta quibus Redemptor noster in Passione sua cruciatus fuit, consideremus, illa quidem consistebant in spinis, flagellis, clavis, aliisque similibus instrumentis, quibus horrendis in corpore suo vulneribus sauciatus fuit. At vero quod super hæc omnia vel maximum illi dolorem intulit, fuit tormentum illud, quod præter plagas et vulnera corporalia in animo suo præsensit; quod utique aliunde derivari non potuit, quam ex horrendis contra eum prolatis blasphemis; unde conquerebatur, dicens : *Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moererunt caput*; dicebant enim : *Vah, qui destruis templum Dei et in triduo reedificas!* Si Filius Dei est, descendat de cruce; speravit in Domino, eripiat eum, solvram faciat eum. Hæc ludibria et blasphemis acerbis ipsum tranfigebant quam clavi vel lancea. S. Bonaventura Glossam, in *Psal. lxxvii*, testem adducens, blasphemie crimen gravius et enormius esse asserit, ipsamet actuali Christi crucifixione : « Gravius peccat, » inquit, « contemptor sedentis in « celo Majestatis, quam crucifixor ambulantis in « terra pauperialis. » S. Bernardinus id ipsum multis in medium adductis rationibus probare conatus

est, ostendendo, eos qui blasphemant, Judæis longe deteriores esse, licet hi Christum in cruce egerint. Primo quidem, quia hi Christum in cruce egerunt et dire tractarunt, dum mortalis etiamnum esset, et in statu abjecto, paupere et villi, nobiscum viveret; at vero blasphemans illum in celis gloriose regnantem injuria afficit; adductque quendam ex Alexandro de Ales petitam rationem, qui ait : « Fit major « injuria ratione majoris status, status autem « regnantis in celis major est ipsius regnantis in « terris. » Secunda ratio illius est : « Judæi hoc « fecerunt ex ignorantia : Si cognovissent, nunquam « Dominum gloriæ crucifixerunt. *I Cor. ii, 8*. Blasphemus autem hoc perpetrat ex malitia. » Tertia, eaque precedentibus non minus efficax est : « Judæi « non promiserunt ei fidem; blasphemii autem, in « baptisate promiserunt et in chrisimate confir- « maverunt, » ac proinde Deum illis apud Isaiam, i, 4, impropere dicit : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semina nequam, filii sceleratis. Dere- liquerunt Deum, blasphemaverunt sanctum Israel.*

h. — Mox ut Christus Dominus eiecit demonium, locutus est mutus et Pharisei loquuntur blasphemiam. Apparet sane quod demon ex homine isto ejectus, locum invenit in Phariseis. Blasphemia enim est idioma demonis.

VERSUS 16.

Et alii tentantes, signum de celo quererebant ab eo.

1. — Lyranus dicit, nonnullis ex ipsis miracula in celis fieri petiisse, quale Josue patrasse legitur, dum solis rotam integræ diei spatio immobiliter subsistere fecit; vel quale Ezechie tempore factum est, dum idem planeta decem gradibus visus est retrogredi. Glossa dicit illos a Christo poposcisse, « ut vel ignem de celo descendere faceret, vel « quæsierunt manna de celo. » Albertus Magnus hanc eorum petitionem hunc sensum habere asserit : « Ac si dicerent : Que circa inferiora operaris, a « virtute possunt esse inferiori, sed in celestibus « non potest operari virtus inferior, et ideo si de « celo signum facis, cognoscemus, quod non in « principio demoniorum, sed virtute divina facis « quod facis. »

2. — Videatur Feria IV post Domin. I Quadragesimæ, sub v. 38, circa illa verba : *Voluimus a te signum videre.*

VERSUS 17.

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.*

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum.

1. — « Quas solus novit Deus, » inquit Albertus Magnus, *Jerem. xvii, 9* : *Præcorum est cor hominis et*

inseparabile quis cognoscat illud? Nemo nisi solus Deus. Ps. xcii, 11: Dominus scit cogitationes hominum.

2. — Beda horum verborum occasione Phariseis incredulitatem ipsorum improperat, utpote quibus ob oculos positum fuerat; manifestum divinitatis ipsius indicium, dum videbant quod interiora eorum et cogitationes secretissimas ipsius veridice manifestaret: « Non ad dicta, sed ad cogitata respicit, ut vel sic compellerent credere potentiae ejus, qui cordis videbat occulta. » Hugo Cardinalis predictis Evangelii hanc glossam adneclit: « Intellige singulos singulorum: » facile enim fieri potest, quod homines aliquas cogitationes occultas assequantur per conjecturas; qua de re Plato librum integrum conscripsit, at vero ad singulas singulorum cogitationes in particulari penetrandas pertingere neutiquam possunt, sed hoc soli Deo competit, juxta illud I *Paralp.*, xxvii, 9: *Omnia corda scrutatur Dominus et universus mentium cogitationes intelligit.*

3. — Idem quoque Hugo frustra illos aliud e celo signum ab eo postulasse ostendit, quando omnes cordis sui cogitationes secretissimas, ipsi perspicitissimas esse videbant: « Dominus autem, si diligenter attendere vellent, statim dedit ei « signum de celo, non ad verba eorum, sed ad « cogitata respondendo; ubi enim ostendit se nosse « secreta cordis, dat evidens signum Deitatis. »

4. — Sciendum quoque est, quod, postquam Saluator, *Matth.*, ix, 34, alteri euidam muto expedite loquendi gratiam contulisset, pari ipsam calumnia oneravit, scilicet quod in virtute demonis idipsum fecisset, et tamen tunc ab illa se calumnia minime defendit, bene tamen in presenti occasione, prouti S. Chrysostomus, *Hom.* xliii, optime observavit; cuius quoque hanc rationem assignat, quod scilicet hic, quia ipsos in obstinatione et perversitate contumaciter perseverare vidit, ei se pro viribus opponere, eamque compescere voluerit: « Verum « quoniam in nequitia eorum perseverantes eadem « dicitabant, respondit nunc. »

5. — Verissimum quidem est, hæc verba nec majorem Christo calumnia inferre, nec divinitatem ipsius atrocius ledere potuisse; verumtamen nec se ab illa purgare, neque calumniantes confutare aut confundere voluit, donec intentionis ipsorum malitiam prius manifestasset: *Ut vidit cogitationes eorum*; siquidem bona vel mala intentio sola est, quæ opus specificat, « Perpendit, quo animo « hæc dicerent, » inquit Jansenius, « nimirum ut « populum averterent ab ipso; proinde quando « quidem calumnia hæc non in suam tantum personam recidebat, sed et blasphemiam erat in Deum « et ad populi subversionem vergebat, non potuit « eam Dominus silentio præterire, sed validis et « variis rationibus calumnia hujus absurditatem « ostendere voluit. »

6. — Didaeus Stella circa hæc verba utilissimam quandam moralitatem adducit, dum ait: « O si « hæc peccator apud se revolveret, quod Deus interioriores cogitationes respicit et quod ipsi nihil est « occultum! Nullus adeo est effrenis et impudicus « peccator, qui coram hominibus ea audeat facere, « quæ coram Deo. Si cogitationes Deo cognoscit, « quomodo opera tua pessima ignorabit? »

Dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.

7. — Idem quoque Stella hæc in responsione Christi observat, et admiratur æquanimitem et patientiam, dicens: « Quamvis maxima injuria « affectus, nulla animi perturbatione motus, modo « deste et optimis rationibus adversus eos arguit « ille, qui poterat in ictu oculi eos in infernum « detrudere. Hinc discere debent Principes et Prælati, ne in castigandis subditis ira et furore « rapiantur. » Advertendum quoque hoc loco est, quod Saluator omnipotentiam suam ad miracula patranda admoveat, plusque factis loquatur, quam verbis, quando de corporibus animabusque nostris ab inferni tyrannide erendis agebatur; at vero quando sibi sui ipsius justificatione, atque a tam abominabili calumnia, expurgatione opus erit, miraculis nequaquam miracula adjicere, sed verba duntaxat, rationes et argumenta in medium adducere voluerit, adeo ut majorem pro bono nostro, quam pro suomet honore defendendo zelum visus fuerit ostendere. Lucas Brugensis ait: « Exemplis « aliquot a rerum natura et experientia sumptis « refutat adversarios. »

8. — Idem quoque Stella hæc verba exponens, in *Luc.*, adversus Phariseos sequens format argumentum: « Omne regnum in se divisum desolabitur, » sed Satanas pellens Satanam, regnum ipsius divisum esse ostendit; ergo regnum ipsius consistere nequit: « Consequens est falsum, quia « vos dicitis, quod apud gentes regnat diabolus « tantum, apud vos, qui fideles estis, est regnum « Dei, et diabolus regnat in mundo per peccata, « ergo regnum ejus stat. Tunc ultra: Regnum ejus « stat, ergo non est divisum; ergo male dicitis, in « Beelzebub principe dæmoniorum me ejicere dæmonia. »

9. — Lyranus duobus in locis duas differentes eruit moralitates. In S. Lucam scribens dicit: « Per « quod significatur omnis congregatio carens concordia; » siquidem in hac duo Satanae esse noscuntur, quorum quilibet pro parte sua alteri prævalere satagit. In S. Matthæum vero ita scribit: « Tale « regnum est anima hominis mali, cuius sensualitas « rebellat rationi; hoc desolabitur, quia Christus, « qui est Rex pacis, inde recedit et diabolus ingreditur. »

Additiones.

a. — *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Verum quoddam Dei regnum est fidelis anima, que si in amore divisionem admisit certo certius in extremum se discrimen præcipitat. S. Athanasius interrogat eum Pater æternus redemptionem nostram a Filio consummari voluerit, non vero ad hunc finem angeli cuiuspiam opera uti voluerit? Respondetque id factum esse, ne ulla nobis daretur occasio amorem Deo debitum transferendi in creaturam; quia si ab Angelo fuisset redempti motivum utique efficacissimum habituri fuisset amoris nostri partem eidem quoque impendendi. « Conventus nichil redemptionem fieri per eum qui natura « Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus? » Cui consonat S. Anselmi meditatio dicens: « Qui creavit te, ipse redemit te, ne « amorem tuum divideres, partim Creatori, partim « tribuens Redemptori. » Atque ideo Idiota cor et affectum suum in Deum Creatorem et Redemptorem suum convertens, ita illum alloquitur: « Totum « exigis, qui totum hominem fecisti. Diligi debes « Domine, ex toto corde, ratione et creationis et « recreationis. » In Veteri Testamento, nullas in variis ritibus et præceptis legalibus hujusce veritatis invenimus figuras. In Levitico enim, ubi avium seu volucrum sacrificium describitur, in specie de columba, que anima Deo dilectæ peculiari symbolam est, dicit: *Non scabit, neque ferro dividet eam.* Etenim aliorum animalium, carnes sacrificandæ dividi solebant non item volatilium et in specie, quoad columbam, idipsum fieri vetabatur: « Nam qui volat, » inquit Theodoretus, « Deum ex toto corde « diligentes, non partiantur animum, collocantes « illum tum in terrenis, tum in celestibus, sed « totum sursum ferunt. » Hæcque causa fuit, cur divinus ille amator, dilectam sponsam suam, columbæ titulo honoravit: *Columba mea, formosa mea.* Nam ut Richardus de S. Victore, ait: « Columba « consortem amat, socium non admittit. » Quoniam motivo Deum inductum fuisse existimatis, quod Caini sacrificium seu oblationem minime gratam habuerit? Audite S. Bernardum, idipsum hæc verbis exponentem: « Quid miraris, o Cain, si tua « non respicit munera, qui te despiciit? Nec hoc « mirum si non respiciat ad te, quia divisus es in « te; si manum devotioni, quid animum das « livori? »

b. — Quamvis Dominus sua divina potentia, ac magna pena inflicta, posset Phariseorum impudentiam compescere, tamen non potestate, sed ratione, ac magnis adhibitis argumentis utitur dicens: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Concordia enim res parvæ crescunt, discordia autem omnia ruinantur. Hebræorum populus ab Ægypto egressus, tametsi nunquam alia instrumenta, præ-

ter ligones et aratra, tractasset, nihilominus per quadraginta annorum decursum in deserto, se belialitorem esse probavit; et similiter in Palestina per artis militaris experientiam, armorumque virtutem, regionis illius locis sibi subiecit. At vero dieite sodes, quenam sit causa quod idem Hebræorum populus in Ægypto sub tyrannico Pharaonis iugo, in operibus lutæ et lateris occupati; velut totidem cuniculi contremiscebant et trepidabant? Nimirum rex ille juxta axioma illud politicum processit: « Divide et impera. » Hebræos namque in varias vastissimas regni sui partes dispersit, et disgregavit, ne unio ipsorum in sui regni perniciem suscitaret seditionem. Unde in Exodo dicitur, v. 12: *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.*

VERSUS 18.

Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia.

1. — Pergit hæc verbis Saluator ulterius demonstrare, quod si in virtute dæmonis alios fugaret dæmones, hic utique ad desolationem propriam machinaretur. Unde Cajetanus ait: « Dæmones « agerent ad desolationem proprii regni. »

2. — S. Bonaventura, quale Satanae regnum sit, his verbis declarat: « Regnum Satanae est in malis « et peccatoribus; unde *Job.*, xli, 25: *Ipse est Rex « super universos filios superbiæ; et ideo dicebat « Apostolus, Rom.*, vi, 11: *Non regnet peccatum in « mortali corpore vestro.* »

VERSUS 19.

Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

Filii vestri in quo ejiciunt?

1. — Interlinearis, in *Matth.*, ait: « Exorcista « Judæorum, qui ad Dei nominis invocationem ejiciebant dæmones. » Eadem quoque est horum verborum expositio apud Bedam, dicentem: « Correat eos interrogazione prudenti, ut confiteantur Spiritus Sancti esse opus; quod si expulsio, inquit, « dæmonum in filiis vestris Deo, non dæmonibus « imputatur, quare in me idem opus non eandem « causam habet. » Cajetanus vero Christum per hosce eorum filios, discipulos suos intellexisse existimat, dum ait, in *Luc.*: « Per filios ipsorum « intelligit discipulos suos, qui ejiciebant dæmonia « et tamen non reputabantur Magi. » Albertus Magnus ad impossibilitatem hanc demonstrandam, illum ex II *Cor.*, vi, 15, textum adducit, ubi dicitur: *Quæ conventio Christi ad Belial? et quæ communicatio templi Dei cum idolis?*

Ideo ipsi iudices vestri erunt.

2. — Albertus Magnus, in *Matth.*, modum ostendit, quo ipsi a filiis suis iudicandi dicuntur: « Vos « primum de falsitate convincentes et postea sua « comparatione condemnantes. » Bona Christum de discipulis suis, utpote Judæorum filii loqui intendisse dicit: « Qui certe discipuli Domini Jesu « Christi bene sibi conscii erant, nihil se malarum « artium a bono magistro didicisse, ut in principe « dæmoniorum egerent dæmonia; ideo, inquit, « *Judices vestri erunt.* »

Additio.

a. — Si autem in *Beelzebub* ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo, etc. Cor Judæis impiis ac sacrilegis hominibus, assignantur in iudices eorum filii, ac consanguinei, cum nil magis ab iis optandum videatur, quam tales habere iudices? Respondetur quod gravissimum eis in hoc infligitur supplicium, ut a quibus munimen, ac protectionem sperabant, condemnationem, ac redargutionem reportent. Ad eundem modum grave erit supplicium reprobis, quibus eorundem angustiae, quando ab illis a quibus auxilium sperare poterant, in finali iudicio derelinquantur. S. Augustinus in sermone *xvi ad Fratres*, inquit: « Non tunc sancti « nobis subvenient, quia tempus non erit miserendi et misericordiam impetrandi, et jam fugiet « janua Paradisi Maria, quæ hoc titulo ab Ecclesia « insignitur: *Janna cæli, et felix Porta.* » S. Antoninus pariter ait: « Nullus orabit pro damnato « aliquo in illo iudicio, nec ipsa piissima Virgo « Maria, Mater misericordiae, quæ nunc assidue « interpellat pro nobis, quia cognoscunt hoc Deum « non velle; et si per impossibile posito rogarent, « non exaudirentur. » Item tanquam dira poena tales iudices eis deputantur, nulla enim severior esse potest, quam ut iniquis ac perversis illis assignantur iudices, qui eos intus ac medullitus agnoscant. Sic gravissima reprobis erit poena quando iudex in die extremo iudicii manifestas sibi esse ostendit omnium conscientias. S. Thomas de Villanova, *Serm. ii in Dom. I Adæ*, dicit: « Peccator non « solum meretur poenam, sed etiam verecundiam « et confusionem; unde iustissime præcipiunt leges « Imperatorum, ut delicta reorum publice puniantur, ut videlicet poenam inflictam astantium verecundia et confusio committatur. » Unde si iudex aliquis famosus quemdam latronem secreto in carcere decipitari curet, æquis justitiae legibus minime satisfaciet, quia de supplicio, atrocissimi debito, magnam partem admittit, scilicet confusionem et contumeliam publicam, in conspectu omnium illi merito irrogandam; quæ per nullam aliam poenam suppleri potest, cum confusio ad sphaeram, quasi poena, superiorem pertineat. Sub

dit vero S. Thomas: « Usque adeo confusio et « verecundia humana poena est, ut hæc præcipua « sit hominis poena, quatenus homo est. Nam « jumenta flagellari, cruciari, occidi possunt, sed « non verecundari; quo fit ut ingenus quicquid « malit, aliquando torqueri, quum publice con- « fundi; et liberiter quamlibet poenam secreto « portare ut publici pudoris confusionem evadat. »

Versus 20.

Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto perveni in vos regnum Dei.

Porro si in digito Dei ejicio dæmonia.

1. — Cajetanus ait: « Intendit per digitum Dei « specialem et exactam operationem divinam, quæ « lis sit digito proprio ipsius artificeis; » ab hac enim metaphora propriam sibi Filio Dei potestatem ejiciendi dæmonia significat. Porro S. Matthæus, *xii, 28*, legit: *Si autem ego in spiritu Dei*. Unde Lucas Brugensis ait: « Per spiritum Dei, cooperante « Spiritu Sancto. »

Profecto perveni in vos regnum Dei.

2. — Toletus adducta S. Hieronymi auctoritate per hoc regnum Christum intelligi posse existimat, juxta id quod Luce, *xvii, 21*, dicitur: *Regnum Dei intra vos est*. « Idem est, quod advenisse Messiam et « ejus regnum ac Ecclesiam in ipso fundandam. »

3. — Dionysius Carthusianus, in *Luc.*, per regnum beatitudinem, sive Paradisum celestem interpretatur: « Id est, regnum coeleste, seu beatitudo æterna per me patefit vobis, dum regnum « diaboli vinco atque debilito, coelestisque regni « vobis introitum præparo; » ad quod probandum locum illum adducit S. Joannis in Epistola I, *iii, 8*, dicens: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

4. — S. Thomas per regnum Dei dominium illud intelligit, quod Deus in hominem obtinet; ait enim, in *Matth.*: « Regnum Dei, id est, dominium Dei « in hominibus; oportet autem illum regnare, « donec ponat inimicos sub pedibus ejus; si ergo « dæmones jam suppeditari incipiunt, jam pervenit in vos regnum et dominium. »

Versus 21.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

1. — Cajetanus Christum per hanc similitudinem ostendere voluisse scribit, quod quamdiu dæmon instar fortis ejusdem armati regnum hujus mundi custodivit, humanum genus velut atrium quoddam sine ulla reluctantia aut oppositione, quiete et pacifice possiderit, at vero postquam Filius Dei ipso utique fortior superveniens, ipsum meritis et

fortitudine sua vicit, tot atrocissima tormenta et ignominiosissimam Crucis mortem patienter sustinens, omnia ei arma ipsius, id est, vitia nostra, quibus munitus erat, sicut e contra virtutes arma sunt Christi, eriperit, ejusque spolia rapiens, homines ab ejus crudeli servitute liberavit, unde Beda dicit: « Fortem diabolum, atrium vero illius « mundum, qui in maligno positus est, appellat, « quo usque ad Salvatoris adventum male pacato « potiebatur imperio, qua in cordibus infidelium « sine ulla contradictione quiescebat. »

2. — Lyranus verba illa in sensu morali de peccatore obstinato exponit, qui peccatum adversus eum, a quo reprehenditur, obstinate defendit, prout Saulem adversus Samuelem fœcisse novimus, qui tamen nonnumquam pro auxilium et gratiam Dei vincitur et superatur: « Aliquando cum Dei adjutorio vincitur, qui aufert arma sua, id est, rationes, « quibus defendit peccata; et spolia distribuit, « quando ejus actus et membra ab bonum conver- « tit. »

3. — S. Bonaventura ex hisce verbis efficax quoddam divinitatis Christi argumentum deducit, dum hunc fere in modum discurrit: Is qui fortis est, nonnumquam ab eo vincitur, qui minori est virtute aut robore præditus; quod si igitur adversus diabolicam potentiam, nulla potestas humana prævalere sufficit, sed ad illam subigendam potentia exigitur coelestis: « Ergo qui expellit dæmones, non « est de terris, sed de cælis, non humana, sed di- « vina potestas. »

4. — Toletus per atrium dæmonis ignorantiam intelligit, sive errores, quibus ob defectum notitiæ et agnitionis veri Dei ante Messie adventum, totus obvolutus erat mundus: « Hoc atrium conabatur « diabolum custodire, et conservare, ne lux coelestis « intraret. »

5. — Didacus Stella exinde aliud quoddam argumentum his verbis efformat, dicens: « Nullus « potest fortis alicujus armati, ea quæ possidet, « dirumpere, nisi sit fortior illo, sed ego diripio, « quæ possidebat diabolum, quod patet, quia abstuli « ab eo dæmoniacum, quem possidebat; » ergo fortior sum ego quam diabolum.

6. — Hugo Cardinalis ad verbum *Custodit sese* reflexe, qualiter id intelligendum sit, ita declarat: « Custodit diabolum ad damnationem atrium « suum, id est, mundum, sicut lupus custodit ovile « ad devorationem. »

In pace sunt ea, quæ possidet.

7. — Idem Hugo ait: « Id est, omnes peccatores, « quia eos non vult inquietare diabolum, quia sibi « favent. » S. Gregorius ait: « Illos pulsare negli- « git, quos quieto jure possidere sentit. » Hæc autem pax in mortalem illis militiam et prelium cedit. Vel etiam per pacem otium intelligi potest: « In

« pace, id est, in otio, quæ mala pax est; sin autem « fortior illo, id est, Christus, de quo *Ps. xxii, 8*: « *Dominus fortis et potens in prælio*; superveniens, « id est, de supernis veniens. *Joan.*, *v, 31*: *Qui de « sursum venit, super omnes est.* »

Additiones.

a. — Cum fortis armatus custodit atrium suum, etc. Dæmon quidem fortis est contra nos per arma inordinatorum appetitum; at vir fortior forti, Christus Dominus superveniens, diabolum catena alligavit, ac propterea minime a nobis timendus. S. Bruno Carthusie solitudinis Patriarcha ait: « Nullum jus habet diabolum in humana natura. « Deus et non diabolum hominem fecit: Dei itaque « juris est homine; ipse debet regnare in nobis, ipse « debet possidere membra nostra. » Verumtamen quenam est causa, quod monstrum illud infernale, hoc non obstante, toties adversum nos prævaleat? Audite ad hoc respondentem eundem sanctum. Dicit enim: « Apostolus ait: *Non regnet peccatum « in vestro mortali corpore, ut obediatis concu- « piscentiis ejus.* » Dum enim nos proprie concupiscentiæ nostræ subjicimur, dom appetitum nostrorum mancipia efficitur, nostrisque sensibus prompte obedimus, quid aliud facimus quam quod demoni, ut adversum nos prævalere possit, arma offensiva validissima subministremus? Hugo Cardinalis ait: « Sic est de diabolo, sicut de urso, qui « ligatur ad palum et circuli ibi, quærens quem « devoret; sic diabolum quasi ursus ligatus, nullum « potest devorare, nisi accedentem spontaneæ ad « ipsum. » Unde *Beeli.*, *xxi, 2*, dicitur: *Fuge peccata; si ad illos accesseris, suscipiant te dentes leonis.* Atque ideo S. Chrysologus opportune dicit: « Caven- « dos esse dæmones, non timendos. »

b. — Cajetanus, per hanc similitudinem, ostendere voluisse scribit, quod quamdiu dæmon, instar fortis ejusdem armati, regnum hujus mundi custodivit, humanum genus velut atrium quoddam, sine ulla reluctantia, aut oppositione, quiete et pacifice possederit; at vero postquam Filius Dei ipso utique fortior superveniens, ipsum meritis et fortitudine sua vixit, tot atrocissima tormenta et ipsam crucis mortem patienter sustinens, omnia ei arma ipsius, id est, vitia nostra, quibus munitus erat, eriperit, ejusque spolia rapiens, homines ab ejus crudeli servitute liberavit. Ita ut nunc etiam, postquam Christus dæmonem in cruce devicit, crucifixionis et passionis ejus devota tantum meditatio potens facta sit ad ipsum superandum armatura. S. Apostolus, ut serpentis infernalis evadere insidias possimus, nos ad assumendam Dei armaturam hortatur, *Eph.*, *vi, 11*, inquit: *Induite vos armaturam Dei.* Et paulo post idipsum his verbis repetit: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.* Verum